

## III.

SIMILIVM SYLLOGARVM INDICIA  
IN CORPORE LAVRESHAMENSI COD. VAT. PAL. 833.

1. VETERVM SYLLOGARVM CORPVS LAVRESHAMENSE. Codex Vaticanus Palatinus 833, olim monasterii Laureshamensis s. Nazarii, f. 27-82 notissimam syllogen servat, quae vulgo Latina appellatur; editam a Grutero post Corpus inscriptionum antiquarum p. 1163-1177. Qua editione huius syllagae neque tota series, neque genuina indoles et origo innotuerunt. Gruterus enim, quum Christiana epigrammata e codice Palatino describeret, lectorem haud monuit titulos ethnicos a se praeteriri; quos suis locis in corpore inscriptionum antea posuerat. Praeterea varia manu libellus exaratus est: eiusque diversae et altera ab altera ita distinctae partes sunt, ut plures syllugas in Laureshamensi codice esse collectas, re examinata, certo intellexerim. Quare quae hactenus sylloge Palatina dicta est, mihi erit corpus Laureshamense veterum syllogarum: quas alteram ab altera separandas et proprio singulas loco in hanc seriem referendas censeo. Cuius propositi rationem redditurus, de toto corpore Laureshamensi statim exponam.

2. CODICIS VAT. PAL. 833 DESCRIPTIO, AETAS. Codex Vaticanus Palatinus 833, membranaceus in 8°, continet primo f. 1-25 Bedae martyrologium manu saeculi noni vel decimi. Qui hunc libellum cum altero compegit, paginarum margines non sine scripturae damno exsecut: utriusque sic libelli membranae sunt adaequatae. Id non ante saeculum XV factum iudico. Ad marginem enim ultimi mensis martyrologii manu saeculi XIV vel ineuntis XV (f. 22<sup>r</sup>) scriptum est: *Redde sc̄o Nazario librum qui pertinet ad eum in laurissa.* Liber nempe martyrologii solus bibliothecae Laureshamensi reddendus erat: secus haec scripta fuissent ad calcem libri epitaphiorum. Itaque martyrologio eum ea quae sequitur sylloge inscriptionum nihil commune initio fuit. Haec constat quaternionibus octo, membranis levigatis, scriptura eleganti et minuta saeculi fere noni vel ineuntis decimi: in summa pagina 26, quae fuit huius libelli prima, tota vacua manu saeculi XV: *Epithavia sanctorum Ad laurissam.* Folio 26 verso, quod item vacuum erat, manus saeculi X scripsit rythmum in honorem Ioannis Baptiste<sup>1</sup>. Alterum folium, in quo libelli titulus pingi de-

(1) Carmen rhythmicum, nondum fortasse editum, ad fidem codicis exhibeo:

In laude summi uerbi dei preconis multis adpresens notantis.  
Armoniae plebis sacra festa colentis dignis sonent tripudiis.  
Hic impiae uesaniae herodis regis affectat dirimi crimina.  
Quae perpetrat continuo incestus sui germani coniuge philippi.  
Id furens haec belua cognoscens eum odio habuit.  
Incitat ac Iudiam regna promissa penitus rennuet. vel careat.

buit, desideratur. Folio olim 3, nunc 27, sylloge incipit, neque inde quidquam perii: ad marginem epigrammatum primi et secundi antiqua manu adscriptum est *P (primum)*, II. Hic ipse *epitaphiorum* liber saeculo iam decimo erat in biblioteca Laureshamensi. In indice enim librorum Laureshamensium scripto saeculo X (cod. Vat. Pal. 1877 f. 32) inter variis argumenti opuscula legitur: *Epitaphia seu ceteri versus in quaternionibus VIII*<sup>1</sup>. Quaternionum numerus cum libro *epitaphiorum*, qui ex ea biblioteca ad nos pervenit, exakte concordat. Haec notatio conferenda est cum indice paulo antiquiore, manu saeculi IX; in quo (cod. cit. f. 79) postremo loco extra ordinem additum est: *Epitaphia seu ceteri versi in quaternionib. VIII.* Epitaphiorum liber in bibliotecam inlatus est post confectum indicem priorem, et ante quam alter in classes distributus coepisset describi: saeculo nempe circiter nono exeunte vel ineunte decimo. Qui ad recentiora tempora codicem Palatinum 833 detruserunt<sup>2</sup>, non palaeographiae tantum legibus, sed veterum quoque indicum testimonio refelluntur.

3. IN CORPORE LAVRESHAMENSI COLLECTAE SVNT PLURES SYLLOGAE ALTERA AB ALTERA SEPARANDAE. Folia 27-54<sup>r</sup> eadem manu sunt exarata, locorum indicibus accurate expressis et minio pictis, item primis uniuscuiusque tituli litteris rubrica scriptis: 54<sup>r</sup>, 55<sup>r</sup> alia manu eiusdem fere aetatis littera nulla minio picta: 55<sup>r</sup>-82<sup>r</sup> tertia manu priori simili, locorum indicibus omissis, spatio, quo illi scribi debuerunt, vacuo, initiis titulorum et versuum (in hexametris) quemadmodum in priore parte, rubrica distinctis. A folio 82 verso ad ultimam codicis paginam, quae scriptura vacabant, quarta manus saeculi fere decimi hymnos de-

Solum sacri capitinis particeps mereretur feruens suadet meretrix. Haec libens satis faciens matri furenti cupit lance sibi donari. Quem rex impius plecti iussit protinus. Caput ipsius lictor affert ocios.

Hunc quaes(o) ut cunctis populis infonte sacro tinetis  
fautor extat celebris.

Nescelere intanto dediti fiant. sed saeris donis carismatum predita  
Vt imperennibus mereantur consortes fieri ipsius;

(1) V. Mai, Spicil. Rom. V. P. I p. XVIII et 193; Wilmanns *Rhein. Mus.* XXIII p. 392, qui haud recte mutare tentat *ceteri coemeterii*. In eodem indice f. 29, itemque in altero paris fere actis (Vat. Pal. 57 f. 7): *epitaphia in basilica sci Petri seu versus.* Titulo quae sylloge significetur, inquiremus capite II.

(2) Gruterus *centum aliquot retro annis* codicem scriptum videret dixit (l. c. p. 1163): Caietanus Marini in quadam scheda (quo ad volumine ea nunc collocata sit, quaerere non vacat) saeculo circa XII: Angelus Mai (Script. vet. V praef. p. V) circiter XI, quem sequutus sum tomo I p. VII\*: nunc rectius a Bethmanno (in *Perpetuus Archiv* XII p. 343) saeculo nono, a Duemmlero (Poetar. aevi Carolini I p. 99) decimo codex attribuitur.

cessit in laudem Caeciliae, Nazarii, Vincentii, Sebastiani  
et martyrum. Tertia manus usus est sylloge inscriptionum  
epigraphica urbana, mixtis Spoletinis et Ravennate, con-  
stituta saeculo septimo; cuius primae origines et forma, post  
separatam in Corbeiensi codice syllogen Centulensem, ma-  
nus eius apparent. Itaque ea separanda est a praecedentibus  
et subiungenda Centulensi (VII) loco VIII. Prima manus  
sylogae sunt descriptae. I. Sylloge urbana completa  
saeculo IX a f. 26 ad 35; cui altera manus numeros se-  
cunda inscriptionum atramento coepit adscribere, post nu-  
merum III coeptam intermisit: ei locus fiet inter sylogas  
saeculi noni (n. XIII). II. Post f. 35 paene vacuum libel-  
lum, cuius titulus *EPITAPHIA APOSTOLICORVM IN ECCLESIA BEATI PE-*  
*TERI*, continet tredecim epitaphia Romanorum pontificum,  
singulis prima manus numerus rubrica adscriptus est; epitaphium  
Elpidis uxoris Boethii sine numero appendix ritu  
subumetum hanc seriem claudit. De cuius origine et ge-  
nera forma sylloge Virdunensis (XII) nos edocebit, confecta  
secundo octavo: libellus Laureshamensis epitaphium nullum  
concessit *apostolicorum*, qui post saeculum septimum defuncti  
erant, locum occupabit XI ante syllogen Virdunensem. III.  
Manus 41-54, nullo interiecto spatio, sequitur sylloge Ita-  
liae circumpadana et subalpina collecta saeculo nono; eius  
potuisse opera, qui syllogen primam urbanam conficit  
et compilavit. Locorum tamen indices in sylloge ur-  
banam singulis titulis sunt plene et diligenter appicti: in  
Italia non item. Haec prima erit post sylogas urbanas  
loci XVI. Inter syllogen tertiam Italica et quartam ur-  
banam in corpore Laureshamensi paginae duae vacuae relin-  
quuntur, quas antiqua manus saeculo IX vel X implevit  
appendice carminum ex aliis sylogis inscriptionum ur-  
banorum: haec appendix post sylogas urbanas ultimo loco  
consebetur n. XV.

IV. AVCTOR CORPORIS LAVRESHAMENSIS CHRISTIANA EPIGRAMMATA  
COLLEGIT; IN LIBRIS VEL SCHEDIS, QVIBVS ILLE VSUS EST, OMNIS  
TITULUS TITYLI ETIAM ETHNICI ERANT DESCRIPTI. Auctorem corporis  
Laureshamensis Christianas inscriptiones, praesertim me-  
moria, colligere voluisse res ipsa demonstrat. Libris ta-  
men vel schedis usus est, in quibus omnis generis ti-  
tuli etiam ethnici, quemadmodum in sylloge Einsidlensi,  
erant descripti. Cuius rei indicia in Gruteri editione sup-  
ponens paucis exponam. Folio 35 desinit prima sylloge ur-  
banam saeculo nono confecta: vacuum spatium, quod inter  
eam et epitaphia apostolicorum relictum erat, eadem ma-  
nus litteris partim atramento, partim rubrica eleganter

scriptis implere coepit aliis titulis; quos a Christianis, vel  
a superiore sylloge videtur voluisse separare, ultimo epi-  
grammate Christiani argumenti uncis minio pictis inclusu.  
Tituli extra ordinem additi sunt tantum duo: alter mon-  
umenti publici, alter sepulcri. Ille descriptus est ex arcu,  
qui in hoc codice dicitur *prima porta Romae*; ideoque in  
urbanae sylogae fere initio eum titulum recensitum fuisse  
verisimile est, qua de re infra in scholiis ad n. 1. Titulus  
sepulcri in aversa pagina loci indicio caret, videtur tam-  
en urbanus (v. comm. ad n. 2): est cuiusdam Q. Cornelii  
Q. L. Menippi, quem nulla praerogativa commendabat; e  
libro nempe vel schedis, in quibus (quemadmodum in mem-  
brana Scaligeri et codice Einsidlensi) vulgaria quoque pri-  
sciae aetatis epitaphia erant descripta. Lectionis corrup-  
tela indicio est exemplum a Laureshamensi antiquario  
adhibitum detritum fuisse vel a detriti codicis prava lec-  
tione propagatum. Eadem observanda redeunt in calce syl-  
logae Italicae f. 53<sup>1</sup>, 54. Haec desinit in Christiano epi-  
grammate Eporediensi: post breve intervallum scriptor co-  
dicis adiecit titulos tres ethnicos, nullo appicto locorum  
indicio. Primo et alteri praescripsit EPYT; et sunt vere  
duo epitaphia; tertio illud lemma haud appinxit, nec sine  
causa. Scilicet recte intellexit illud non esse *epitaphium*,  
sed titulum Mercurio sacrum. In eo seviri Augustalis et  
honoris Augustralitatis mentio fit; originis minime urbanae  
certum indicium. Hos igitur titulos codicis scriptor cepit  
e libro vel schedis, in quibus descripta erant ethnica epi-  
grammata Italiae, Christianis circumpadanae et subalpi-  
nae regionis carminibus, opinor, mixta. Neque in his de-  
erant tituli diis dedicati (vide n. 5). Non ab ipsis certe  
lapidibus, sed a manu scriptis chartis vel membranis hos  
titulos Laureshamensis antiquarius exceptit: quippe qui ab-  
surde mutaverit SEIS in *sancsis* (v. n. 4), VIVIR in *cuius*  
(v. n. 5). Minuta et vulgaris scriptura his erroribus ansam  
dedit: *seis = scis, sanctis; uiuir = cuius*. His indicis edoctus  
affirmo conditori corporis Laureshamensis carminum Chris-  
tianorum e sylogis epigraphicis praesto fuisse unum sal-  
tem et alterum libellum, in quibus cum Christianis epigram-  
matibus publici quoque et privati omnis generis tituli erant  
collecti; eumque, his omissis, Christiana sectatum; omis-  
sorum tamen quasi specimina et appendices vacuis in chartis  
adscriptissim.

Sequuntur e codice Palatino 833, id est e sylogis vel  
schedis a Laureshamensi antiquario adhibitis, excerpta ea,  
de quibus praefatus sum.

## III.

## EXCERPTA E CORPORE LAVRESHAMENSI

## 1. IN PRIMA PORTA ROMAE.

Imperatores caesares.

D . D . D . N . N . N . Gratianus . Ualentianus .

Ettheodosius . pii felices . semper . auggg .

Arcum adconcludendum opus omne porticum  
maximarum a&erni nominissui pecunia  
propria fieri ornario iusserunt .

t. 35

[In aversa pagina post trium versuum spatium  
vacuum]

## 2. Q . cornelius Q . L . menippus sacrarius

fecit sibi & ceteris libertabusq . suis  
posterisq . eorum .

t. 36

1. Vide supra syllogen Einsidl. (II) n. 16, ubi hic titulus ponitur *in arcu proximo pont(i) s. Petri*. Corpus vero Laureshamense eundem titulum indicat *in prima porta Romae*. Res attente consideranda; quippe quae difficillimas quaestiones attingat de porta vel portis Urbis ad pontem Aelium; de quibus, post Georgii Goett commentationem de porta Aurelia (Monachii 1877), nuper disputavit Iordanus, *Topogr.* I, 1 p. 375 et seqq. De porta, quae saeculo iam sexto vulgo s. Petri dicebatur (Iordan, l. c. p. 375; cf. *Bull. crist.* 1869 p. 11) et a Procopio Aurelia, a topographo saeculi septimi in Willelmi Malmesburiensis historis Cornelia appellata est, tres sententiae sive opinione propositae sunt. Alii eam statuunt ultra pontem in munitione Hadrianii; alii cis Tiberim ante pontem; qui utrumque conciliare tentant, geminatam portam in utraque fluminis ripa constituunt. Saeculo certe duodecimo porta antiquioribus Cornelia, ultra pontem, corrupto vocabulo mutata in Collinam, sita erat *ante Castellum Hadriani* (Iordan, l. c. p. 386). Ego nondum auditum testem induco: a quo docemur arcum porticum maximarum ante pontem Aelium habitum esse tamquam portam urbis Romae cis Tiberim. Altera ergo eo loco porta minime videtur fuisse. Quae s. Petri dicebatur et vere porta Urbis erat, ultra pontem, id est in dextera ripa Tiberis, erit quaerenda: in sinistra arcus *concludens opus omne porticum maximarum* ante saeculum septimum vel octavum vice portae quodam modo fungebatur.

Antiquus, a quo pendet codex Laureshamensis, veniens a basilica Vaticana Urbem primo ingressus est per arcum porticum maximarum, quem *primam portam Romae* appellavit: inde orsus iter urbanum epigraphicum, hunc titulum omnium item primum (saltē intra Urbem) posuit eum idcirco Laureshamensis antiquarius, Christianae syllogae profanam appendicem instruere incipiens, descriptis. Ille vero, a quo pendet codex Einsidlensis, via Salaria veniens, per mediam Urbem ad pontem Aelium, Hadrianum basilicam Petri perrexit: neque arcus porticum maximarum ei *prima porta Romae* esse potuit. Syllogarūm itaque Einsidlensis et Laureshamensis fontes videntur omnino diversi: quamquam v. 6 in utroque codice *ornatio* (em. ORNARIQ), de qua lectione supra dixi p. 22, 16.

2. Ex hoc solo codice Gruterus 1088, 9 et C. I. L. VI. 9869. — V. 2 Gruterus em. LIBERTIS, codex ceteris Quae falsa lectio indicium est scripturae in vetere potius membrana, quam in lapide detritae; nam *libertis*, *ceteris* facilius commutari potuerunt litteris minoribus vulgaribus, quam quadratis e lapide. Item v. 1 *sacrarius* probabilitate mutandum *sagarius* (vide C. I. L. l. c.). Sane plures Quinti Cornelii Q. L. sagarii Romae fuerunt (C. I. L. l. c. 9866-68): quo confirmatur origo tituli urbana; eumque ad inscriptionum syllogen, quae a *prima porta Romae* incipiebat pertinere verisimile est. In hoc titulo notas Q., Q. L., item in titulo 1 D . D . D . N . N . N . et *auggg.* librarius minime pinxit; qua de re vide ad n. 5.

[Post EPYT(aphium) CIU(itatis) EUREIAE  
id est Eporediae]

EPYT

f. 53<sup>a</sup>

Feci quoduolui uiuus monumentum  
ubi ossa & cineres a&ternum requiescerent mihi

EPYT

f. 54

C. paguri . C. L. gelotes hospes resistet  
& tumulum hunc. excelsum. aspic. quo continen-  
tur ossa paruae a&tatulae sepulta. haec

sita . sum . uerna . quo ius. a&tatulae grauitate  
officio & lanificio prosttit ei queror fortunae  
cassum . tam . iniquom & graue nomen ei  
quaeras exoraturi . Saluiae ualebis hospes  
opto utsanctis felicior

5. Mercurio sacrum . mattius patrobius .  
uestiarius . tenuiarius . cuius & augusta . L.  
ob honorem augusta . L.

3.5. Post epitaphium metricum Christianum civitatis *Eureiae* (Eporediae) appendix inscriptionum ethnicarum brevi interiecto spatio separatur a superiore serie Christianum, quae continua est in sylloge Italica circumpadana et subalpina. Huic unius codicis ope inscriptiones 3-5 ad hanc diem innotuerunt. Harum alteram et tertiam Gruterus (1067, 8; 1152, 2), nullo teste, Romae attribuit: Mommsenus (C. I. L. V, 6777, 6808, 6811) omnes inter Eporedienses recensuit. Ceterum cuius civitatis vel oppidi sunt, ignoratur: mentio seviri Augustalis (n. 5) ultimum certe titulum ad Urbem minime pertinere confirmat.

3. Ex hoc codice C. I. L. V, 6811.

4. Ex eodem codice Gruterus 1152, 2: nescio quo errore, *Romae ad s. Petri et Pauli*. C. I. L. V, 6808; ubi de elegantis carminis restitutione Hauptius post Buechelorum, Anthol. Lat. spec. I p. 11. Hauptii exemplum, in uno altero loco mutatum, proponam.

C. PAGVRI . C. L. GELOTIS

HOSPES . RESISTE . ET . TVMVLVM . HVNC . EXCELSVM . ASPICE  
TVO . CONTINENTVR . OSSA . PARVAE . AETATVLAE  
SEPVLETA . HEIC . SITA . SVM . VERNA . QVOIVS . AETATVLA  
GRAVITATEM . OFFICIO . ET . LANIFICIO . FRAESTITEI  
QUEROR . FORIVNAE . CASSVM . TAM . INIQVOM . ET . GRAVE  
TOMEN . SEI . QVAERAS . EXARATVM . SALVIA . Est  
TAREBIS . HOSPES . OPTO . VT . SEIS . FELICIOR

Extremos versus fuisse corrosos, neque ab antiquario facta conjectura suppletos, codicis lectio in vv. 2, 6 manifeste utilia ostendit. Quare in 5 et 7 idem vitium agnosco; et *praestit ei* supplendum censeo *praestiteit*; *Salviae*; *Salvia*. Ceterae emendationes Buechelero et Hauptio debentur.

In v. 4 *verna* non domi natam significat, sed vernaee aetatis florem: v. 6 *cassum*, quemadmodum "Ciceronis temporibus paulumque infra , scribi consuevit, teste Quintiliano I, 7, 20. De v. ultimo sagaciter Hauptius: " *seis* cum „ esset scriptum in apographo, fuit qui *seis* sibi legere „ videretur, hinc stolide factum *sanctis* „. His aliisque indiciis clare patet primo syllogae auctori, qui lapidem vidit, tituli exemplum in Laureshamensi codice exaratum minime esse attribuendum: exemplo iam corrupto Laureshamensis antiquarius usus est, vel recte descriptum ipse corruptit. Cf. errores tituli n. 5 et quae scripsi p. 37 § 4.

5. Ex hoc codice Gruterus 1067, 8 *Romae*: C. I. L. V, 6777. Emendanda v. 1 M · ATTIVS, 2 VIVIR, AVGVSTAL, 3 AVGVSTAL.

Ad hanc inscriptionem respexi supra (p. 15), quum titulos etiam diis sacros in huius aetatis syllogas receptos esse affirmavi; ii in Einsidensi certe codice sive casu sive singulari auctoris proposito, non communi monachis religione, desiderantur (cf. IV, 6). Titulus 5 non eadem, qua superiores, ratione (quamquam eadem manu) exaratus in codice est. Titulorum 3, 4 primae litterae et 4 notae etiam C. L. sunt minio pictae; ritu primae manus ab initio libelli ad f. 54: in 5 rubrica nulla. Alio nempe tempore, alio facile e fonte, inscriptio Mercurio sacra in ultima appendice addita est. Eam tamen non e lapide, sed e manu scripto apographo exceptam lectionis corruptelae demonstrant. Qui primus lapidem descriptis ipsas litterarum formas servavit: cuius diligentiae indicium est forma litterae L; eam semel iterumque codicis scriptor pro alicuius vocabuli nota habuit ideoque punctis circumscriptis. Videtur cogitasse de L. (Livia?) Augusta: inscritiae eius in re epigraphica documentum insigne.